

02:30



# N a c h r i c h t e n

über

## das Königl. Friedrichs = Gymnasium zu Gumbinnen

aus

dem Schuljahre von Michaelis 1825 bis Michaelis 1826.

Womit

### zu der öffentlichen Prüfung,

welche

am 29. September d. J.

Vormittags von 8 Uhr, Nachmittags von 2 Uhr,


und

am 30. September Vormittags von 8 Uhr an

gehalten werden wird,

im Namen der Anstalt ehrerbietigst und ergebenst einladet

J. D. Prang,  
Direktor.



Vorangeführt ist eine wissenschaftliche Abhandlung, verfaßt vom Oberlehrer Petrenz.

Gumbinnen, 1826.

Gedruckt bei E. W. Melker.



0 9 1 0 1 0 0

Wydawnictwo Mibjskie

W Toruniu

Wydawnictwo Mibjskie, Toruń, 1902

1902

Wydawnictwo Mibjskie, Toruń

1902

Wydawnictwo Mibjskie, Toruń

Wydawnictwo Mibjskie, Toruń

1902

Wydawnictwo Mibjskie, Toruń

Wydawnictwo Mibjskie, Toruń

Wydawnictwo Mibjskie, Toruń

KSIĄZNIKA MIBJSKA  
IM. KOPERNIKA  
W TORUNIU

~~Wydawnictwo Mibjskie  
Toruń~~

AB4748

Wydawnictwo Mibjskie, Toruń

Wydawnictwo Mibjskie, Toruń

Wydawnictwo Mibjskie, Toruń

COMMENTATIO

de

*participiorum Latinorum ratione atque usu.*

---

Scipsit

FRID. GUIL. THEOD. PETRENZ.



COMMENTATIO

De ...

...

## De participiorum Latinorum ratione atque usu.

---

Quum in Latini sermonis disciplina, quamquam hac aetate subtilius accuratiusque virorum doctorum studiis quam olim pertractata, permulta etiam hodie sint nec rerum satis acuta indagazione ad scientiam plenam consummatamque excussa, nec ratione in grammaticis libris probabili digesta commodeque ad cognitionis vel facilitatem vel perspicuitatem composita: quisquis aliquam hujus doctrinae partem aut subtilius ratione duce linguaeque consuetudine pervestigandam, aut ordine persequendam meliore rerumque naturae magis, quam vulgo est, accommodato susceperit, attulisse ad totius rei cognitionem vel pleniorum vel subtiliorem aliquid putabitur. Itaque, hac mihi adlata scribendi opportunitate, si, loco ex magna rerum copia selecto uno, in participiis quae mihi videretur Latinis maxime probanda sequendaque ratio, exponerem, operae me pretium facturum arbitrabar. Qua in re quum ita versari grammaticos tantum non omnes viderem, ut, congesta ex antiquis libris magna exemplorum multitudine hisque ad vernaculae varietatem dictionis dispositis, aut, qui ad singula ex Latinis convertenda nostri sermonis adhibendi modi essent, aut ex altera parte, quae hujus formae verborumque genera exprimi participiis possent Latinis, docerent: semper equidem, ut ceteris in rebus grammaticis, sic in hoc genere ingrediendam hanc maxime viam censebam, ut, quam in diversis scriptorum locis participia Latina haberent *vim ac naturam* quum esset, multis inter se comparatis, exploratum, ad hanc ipsam *Latine* loquendi diversitatem totius rei descriptio referretur et accommodaretur. Ad ipsam vero rem priusquam aggrederer, hoc in primis praefandum duxi, nec nova me et inaudita ad receptum participiorum usum proferre voluisse, quum nihil praeter hoc mihi esset propositum, ut



diversis eorum generibus accuratius inter se comparatis ad certasque sermonis leges revocatis, tum ad cognitionem facilior, tum ad exercitationem fructuosior tota res esset; nec per minutissima animum mihi fuisse ita singula persequi, ut nihil praetermitterem: quod quominus facerem, tam consilii mei ratio, quam constituti hujus scriptionis termini prohibebant.

Participiorum igitur hanc naturam esse constat, ut verbi, quod grammatici proprio vocabulo appellant, notionem, adjectivorum nominum adsumta forma ac specie, ad rem sive verbis expressam, sive cogitatione comprehensam referant, detracta et personarum et temporis certi notatione. Nam quod vulgo perhibent, definiti esse in participiis significationem temporis, vel hinc cognoscitur parum accurate dici, quod ad diversas, quotquot sunt, temporis partes unam eandemque participiorum formam per sermonis usum licet accommodare: ut, quod iis tempus notetur, non ex ipsis possit, sed ex verbo totius sententiae primario intelligi. Cic. Div. II., 3. *Dicendum est mihi igitur ad ea quae sunt a te dicta, sed ita, nihil ut affirmem, quaeram omnia, dubitans plerumque et mihi ipse diffidens* i. e. quoniam dubito et diffido. Eutr. 10, 2. *Severus fugiens Ravennae interfectus est* i. e. quum fugeret. Cic. Tusc. IV, 24. *Lacesse, jam videbis furentem* i. e. in furore erit. Plin. Ep. VII, 25. *Expertus scribo, quod scribo* i. e. ita ut expertus sim. Cic. Tusc. III, 12. *Dionysius quidem tyrannus Syracusis expulsus, Corinthi pueros docebat*, i. e. postquam expulsus erat. Id. Verr. I, 4. *Nam quis hoc non intelligit, istum absolutum tamen ex manibus populi Romani eripi nullo modo posse?* i. e. etiam si absolutus fuerit. Ex his et quoniam eadem participii futuri ratio est, ut vel ad praesens tempus, vel ad praeteritum, vel ad futurum referatur, manifestum est, non temporis, sed actionis quandam diversitatem, quam vel permanentem, vel exactam, vel inchoandum cogitamus, participiorum aequae atque infinitivorum diversis formis indicari.

Quoniam igitur mixtam in participiis et quasi conglutinatam adjectivorum verborumque naturam deprehendimus, quorum id esse constat discriminis, quod

quod adjectiva ad naturas rerum et conditiones declarandas; definiendasque cum nominibus substantivis copulantur, verba autem, temporis adsumta notatione, aliquam vel actionem vel conditionem non absolute exhibent, sed tempore certo illam in re vel esse vel fuisse vel futuram esse definiunt: factum est, ut duplicem Latinitas in participiis rationem sequeretur, prout vel adjectivorum consuetudinem vellet illa imitari, ut rerum naturas statusque accuratius notarent, vel ad verborum usum propius accedere, ut factae rei agendaeve cogitationem afferrent. Id enim primum animadvertendum est, aut hac vi participia cum nominibus substantivis copulari, ut ad haec sola apponantur definienda, quod si fit, adjectivorum totam adsciscunt speciem; aut hac ratione, ut forma quidem sua adjunctantur substantivis, vi autem et significatione simul ad praedicatum quod vulgo dicunt pertineant. Ut in his: *Sanguis a corde in totum corpus distribuitur per venas admodum multas in omnes partes corporis pertinentes* Cic. N. D. II, 55. et altera ex parte: *Plato scribens mortuus est.* Id. Cat. 2. in his, inquam, manifestum est, in priore sententia participio ipsius nominis, ad cuius se formam accommodat, i. e. venarum, explicationem quandam contineri, in altera eodem attributae rei, i. e. moriendi, modum quandam notari. Unde, quum priore loco adjectivorum similitudinem participium referat, posteriore ad rationem adverbii vim ejusdem ac significationem propius accedere liquet. Hoc igitur posito discrimine, primum de illo participiorum genere disputabimus, quod in ipsis substantivis versatur adjectivorum ratione definiendis, tum de iis, quae ad verbi finiti vim accuratius vel declarandam vel adstringendam subjuncta adverbiorum quandam similitudinem, non forma quidem ipsa, verum sententiae vi et effectum, exprimunt.



## Cap. I.

*De participiis adjectivorum naturam imitantibus.*

Superioris generis duplex ratio est, quarum una notam aliquam in re permanentem continuatamque exhibet, altera in fortuitis indiciis et quae certorum eventu factorum aut rerum temporumque conditione contineantur, versatur declarandis.

1. Ac prior quidem ratio maxime ad praes. temp. participium pertinet, ut quod sua natura ad conditionis cujusdam perpetuitatem constantiamque notandam inclinet; nec tamen ita, ut a reliquis illa prorsus aliena sit: quoniam passivorum participiorum is haud insolens usus est, ut non ipsa actio, quae comprehenditur verbi notione, sed qui consequutus illam rei status sit, consideretur. Hoc quidem in genere cum Latinitate vernaculae dictionis consuetudo congruit, quae et ipsa in his participia habet, quorum tamen in locum nonnunquam, praesertim in longiore verborum ambitu, pronomen relativum substituitur. Cujus rei satis erit haec attulisse exempla. Cic. Sen. 6. *Temeritas est videlicet florentis aetatis, prudentia senescentis.* Id. Phil. XI, 12. *Est enim lex nihil aliud, nisi recta et a numine deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria.* Sen. Benef. VI. 3. *Haec sunt divitiae certae in quacunq[ue] sortis humanae levitate uno loco permansurae.* Cic. Lael. 20. *Odiosum sane genus hominum officia exprobrantium.* Id. Verr. IV, 46. *Insula est Melita satis lato ab Sicilia mari periculosoque disjuncta.* Id. off. I, 43. *Prudentiam enim aliam quandam intelligimus: quae est rerum expetendarum fugiendarumque scientia.* Hinc factum est, ut participia, adjectivorum natura adsumta, attributi loco cum verbo auxiliari copularentur. Cic. off. II, 3. *Eorum autem (animalium) alia rationis expertia sunt, alia ratione utentia.* Id. Sext. 58. *Aliusne est aliquis improbis civibus peculiaris populus, cui nos offensi invisique fuerimus?* Quo in genere si rei, ad quam participium refertur, generalis notio est, quam necesse sit in omni cogi-



cogitatione adscisci, ut si aut rei aut hominis in universum mentio infertur: praetermisso hoc vocabulo, substantivorum participia speciem adsumunt. Cic. Phil. XII, 2. *Optimus est portus poenitenti mutatio consilii.* Id. Div. I, 30. *Jacet enim corpus dormientis ut mortui.* Liv. 40, 5. *Et primo quidam ex his adspersantium tale quidquam speciem praebuerunt.* Cic. Phil. II, 27. *Male parta male dilabuntur.* Plin. Ep. I, 8. *Si silenda feceris, factum ipsum; si laudanda, quod non sileas ipse, culpatur.*

2. Altera ratio, in qua fortuitam rerum conditionem affectionemque participia indicant, late patet. Haec enim est Latini sermonis consuetudo, ut, si qua actio sese in re exserens cum re ipsa, ad quam pertinet, conjunctim enuntianda sit, quod ut efficias duplici utendum sit substantivo, uno, quod actionem, altero, quod rem, in qua illa permutanda versetur, exhibeat, non actionem ipsam Romani substantivo verbali, sed effectum illa statum conditionemque inde constitutam, adhibito participio, pronuntient, idque cum altero substantivo ita copulent, ut utrumque in unam, quae divelli nequeat, notionem coalescat. Ut, quum ex nostra loquendi consuetudine dicere Livius posset, anxisse Hannibalem Siciliae Sardiniaeque amissionem, id secutus Latini sermonis usum hoc modo dixit: *Angebant Hannibalem Sicilia Sardiniaeque amissionae.* Liv. 21, 1. In qua locutione actionis, i. e. amittendi, cogitatio cum rei, i. e. Siciliae Sardiniaeque, notione ita conglutinata est, ut eadem animi perceptione haec duo comprehendantur. In his licet primo adpectu, quum composita illa ex duobus cogitatio ad verbum saepe finitum quodammodo pertineat, ut in exemplo apposito subjecti locum obtinet, participia videri possint ad id referenda genus esse, quod, quum in praedicali vi sententiaeque versetur accuratius definienda, supra altero loco posui; tamen re diligentius considerata, non participium per se ipsum ad verbum referri patet, sed conjunctam illam ex participio et substantivo notionem, illud autem ipsum in hujus tantummodo explicanda specie versari. Contra si Cicero Off. I, 1. ad filium scripsit: *nostra legens utere tuo judicio:* in his participium cum verbo esse ipsum copulandum

apparet; voluit enim illum *tum* proprio uti iudicio, *quum* sua legeret. Hinc, quantum intersit inter utramque rationem, satis liquidum est.

In hoc loquendi genere quoniam conditiones notantur non in ipsis rebus, quarum mentio infertur, positae, sed extrinsecus allatae, passivis maxime participiis locus est; ac praeterito quidem, ad peractam rem significandam, qua tamen quae effecta conditio sit, saepe permaneat; futuro autem, quod omni instantis rei sublata cogitatione pro praesente in hac locutione usurpari solet, ut, quid fiat in re, indicetur; quamquam in locis non paucis, etiam in hac verborum conformatione, eam vim participium futuri temporis passivum tuetur, quae propria ejus est, ut, quod aut volumus aut oportet fieri, emuntiet. Activa autem participia, nisi in ablativis, qui absoluti appellantur, non admittuntur, atque in his ita, ut magis actionis statusque fortuiti, quam naturae constantis ac permanentis mentionem injiciant.

Quod vero ad grammaticam verborum compositionem conformationemque in hoc participiorum genere attinet, triplex illa omnino est. Nam aut subjecti quod appellant vicibus copulata illa ex duobus notio fungens casu pronuntiatur nominativo; aut alii subjecta vocabulo ab eoque suspensa ad hujus rationem grammaticam, obliqui adsumta casus forma, sese accommodat; aut nulli verborum separatim obnoxia, susceptis adverbii partibus, sexto casu ad sententiae universae vim determinandam adjicitur; qui absoluti a grammaticis vocantur ablativi. Jam singula sunt exemplis comprobanda.

A. *Nominativus.* Liv. 39, 51. *Ad Prusiam regem legatus T. Quintus Flamininus venit, quem suspectum Romanis et receptus post fugam Antiochi Hannibal et bellum adversus Eumenem motum faciebat, i. e. Hannibalis receptio et belli illatio.* Id. 38, 34. *Nulla tamen res tanto erat damno (Lacedaemoniis) quam Lycurgi disciplina, cui per septingentos annos ad-sueverant, sublata.* Tac. Ann. IV, 44. *Lentulo — gloriae fuerat bene tolerata paupertas, dein magnae opes innocenter paratae et modeste habitae.* Insolentior futuri participii usus in hac loquendi ratione est, cujus ta-



men apud Virgilium Aen. IX, 6. exemplum exstat: *Quod optanti Divum promittere nemo auderet,volvenda dies* (i. e. dierum conversio), *en, atulit ultro.*

*B. Obliqui casus: a. Genitivus.* Liv. 21, 2. *Barbarus eum quidem palam, ob iram interfecti ab eo domini* (i. e. ob iram ex caede domini susceptam) *obtruncavit.* Id. 6, 16. *Fateri facinus insimulati falso crimine senatus.* Id. 23, 10. *Extemploque impositus in navim et Karthaginem missus, ne motu aliquo Capuae ex indignitate rei orto senatum quoque poeniteret dediti principis.* Cic. Phil. II, 44. *Spurius Cassius, M. Manlius propter suspicionem regni appetendi sunt necati.* Id. Fin. II, 3. *Augendae voluptatis finis est doloris omnis amolitio.* Id. Font. 10. *Quis ignorat eos usque ad hunc diem retinere immanem et barbaram consuetudinem hominum immolandorum.* Id. Tusc. II, 22. *Zeno proponatur Eleates, qui peressus est omnia potius, quam conscios delendae tyrannidis indicaret.* Liv. 3, 39. *Quod unum, exaequandae sit libertatis i. e. ejusmodi, ut libertas eo exaequetur.* Id. 3, 24. *Frustrationem eam legis tollendae esse.* cf. Sall. Cat. 6. Liv. 5, 3. et ad h. l. Drakenb.

*b. Dativus.* Cic. Sen. 19. *Reliqua tempora demetendis fructibus et percipiendis accommodata sunt i. e. fructuum messionis et perceptioni.* Id. Mur. 4. *Neque enim jam mihi licet, neque est integrum, ut meum laborem hominum periculis sublevandis non impertiam.*

*c. Accusativus.* Liv. I, 3. *Inter Lavinium et Albam longam coloniam deductam triginta ferme interfuere anni.* Cic. Brut. 61. *Longe post natos homines improbissimus fuit Serv. Glaucia.* Eadem est ratio notandi temporis apud Romanos pervulgatissima ante vel post urbem conditam dicentes. Tum haec; Liv. 22, 36. *Decemviri libros adire et inspicere jussi propter territatos vulgo homines novis prodigiis.* Cic. N. D. 2, 57. *Palpebrae aptissime factae sunt et at claudendas pupillas, ne quid incideret,*

*et ad aperiendas. Ibid. 2, 60. Nos e terrae cavernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros necessariam.*

d. *Ablativus. Sall. Cat. 47. Ab incenso capitolio hic est vicesimus annus. Liv. 4, 17. Major itaque ex civibus amissis dolor; quam laetitia fuis hostibus fuit. Cic. Fam. 2, 16. Vidisti, quam abhorrerem ab urbe relinquenda. Id. N. D. 3, 15. Temperantia autem constat ex praetermittendis voluptatibus. Id. off. I, 8. Ac de inferenda quidem injuria satis dictum. Id. Sen. 20. In liberanda patria est interfectus.*

Horum exemplorum, quae multiplicari facili negotio ad immensum possint, etsi in permultis participii futuri ea vis esse videtur, ut futurum prospectans tempus voluntatis alicujus vel postulationis cogitationem inferat, tamen id plerumque in conformatione verborum, non in ipsa participii natura positum est. Nam seu vocabula, in quibus cupiditatis studiique aut facultatis notatio sit, praemittuntur, haec ipsa ad futuri temporis cogitationem animos advertunt; seu ad rei finem usumque declarandum aut tertii casus adjumento aut particulis *ad, in,* et quae his sunt consimiles, utimur, hac rursus loquendi ratione instantis rei patet mentionem inferri. Nec tamen hoc ita dici potest, ut nullam esse omnino voluntatis aut officii significationem in participio futuri statuas: quae et in aliis loquendi formulis apertissima est, et in hac, de qua nunc agimus, verborum structura aliquoties deprehenditur. Cic. Verr. 2, 32. *Illud est flagitium ob rem judicandam* (i. e. si quis judicaturus sit) *pecuniam accipere. Suet. Tib. 2. P. Clodius ob expellendum urbe Ciceronem plebejo homini in adoptionem se dedit. Nep. 19, 2. Phocion cum Demade de urbe tradenda Antipatro consenserat. Id. 2, 10. Neque negat* (Thucydides) *fuisse famam, venenum sua sponte sumsisse* (Themistoclem), *quum se, quae regi de Graecia opprimenda pollicitus esset, praestare posse desperaret. Iust. 2, 9. Miltiades et dux belli erat, et auctor non expectandi auxilii.*

C. In hoc genere etiam sunt qui *absoluti* dicuntur *ablativi*. Quorum haec



haec ratio est, ut, si qua res gesta accuratius describenda alio commemorando facto sit, quod ad quem vel peragentem vel perpetientem refertur, hujus nulla in sententia primaria sit mentio injecta, alterum illud factum, quod explicatio- nis loco adjungitur, ita subjiciatur alteri, ut, plena enuntiatione in notionem contracta unam ex duplici subjecti attributique cogitatione conflata, haec ab- lativo casu, quippe cujus propria illa natura sit, ut adverbiorum fungatur vicibus, cum reliqua oratione copuletur. Ut, quum commemorandum fuerit, Solonem et Pisistratum viguisse tum quum Romae Servius Tullius regnaret, posteriore sententia sic coagmentata, ut animo obversetur *Servius Tullius regnans*, quum tempora rerum ablativo casu notentur, dicendum erit: *Servio Tullio regnante vixerunt*. Cic. Brut. 10. In his etsi manifestum est, quum talis loquendi modus in adverbiorum locum succedat, ablativos illos orationis esse conforma- tione cum verbo finito junctos, id tamen ipsum non participiorum vi efficitur, sed propria sexti casus natura, nec in his quidquam est, quo ab eo genere, quod nunc tractamus, illa differant. Qua in locutione participia maxime prae- sentis temporis praeteritique locum habent, perraro futuri: nam quod saepe etiam futuri temporis participium *passivum* in hac verborum figura usurpatur, pro praesente illud dici judicandum est. Caeterum quot sexti casus modi sunt ac rationes, totidem sint hujus participiorum formae significationes necesse est, ex- cepta locorum notatione, ut quae *actionis* nullam admittat accessionem. Nam quam ablativi vim esse constat, ut aut modum omnino agendi, aut causam ratio- nemve, propter quam accidat res vel suscipiatur, aut id quo perficiatur eadem, aut tempus denique indicet, eadem in absolutorum ablativorum ratione multi- plici apparet.

a. Ad ablativum *modi* seu *qualitatis* ii sunt referendi participiorum abla- tivi, quibus, qua re alia vel simul decurrente, vel alteram praegressa, vel tum maxime instante, acciderit id, quod verbi affertur finiti expositione, ostenditur, i. e. *qua rerum temporumve constituta conditione* res acciderit. Cujus quum duplex esse natura possit, quarum altera continetur eo, ut congruant inter se

consentiantque res juxta positae, vel certe non repugnent sibi altera alteri, una posita in rebus contrariis vel quae fingantur contrariae esse: hoc loco primum de illis exponemus, in quibus nulla sit aut cogitationis dissensio aut rerum discrepantia. Ac *praesentis* quidem participium *activum* rem eodem tempore, quo altera fieri perhibetur, permanentem affert. Liv. 5, 19. *Romam ad scribendum novum exercitum redit nullo detrectante militiam.* Id. I, 46. *Tarquinius et Tullia minor junguntur nuptiis, magis non prohibente Servio quam adprobante.* Id. 40, 8. *Quoties ego audientibus vobis detestatus exempla discordiarum fraternarum, horrendos eventus eorum retuli?* Curt. 3, 8, 12. *Darius reliquas copias in Ciliciam duxit, insequentibus more patrio agmen conjuge et matre.* Praeteriti autem participium actionem ipsam quidem peractam indicat, qua tamen qui effectus rei status et quae conditio est, permaneat in altera re gerenda. Liv. I, 58. *Stricto gladio ad Lucretiam venit.* Id. 40, 8. *Perturbato vultu in conspectu patris tacitus procul constitit.* Cic. de Rep. II, 10. *Romuli autem aetatem minus his sexcentis annis, jam inveteratis literis atque doctrinis omnique illo antiquo ex inculta hominum vita errore sublato, fuisse cernimus.* Itaque nonnunquam pro ipso praesente praeteriti participium adhibetur. Liv. 1, 34. *Aruns prior quam pater moritur uxore gravida relicta.* Id. I, 33. *Inde, ingenti praeda potitus, Romam redit, tum quoque multis millibus Latinorum in civitatem acceptis.* Pervulgatissima tamen haec praeteriti participii ratio est, ut in rerum deinceps gestarum seque excipientium expositione, ad orationem vel brevitatis vel concinnitatis laude condecorandam, servata perfectae actionis notatione, illud referat et subsequenti rerum narrationi praenuntiat, quo prius facto exactoque cetera gesta sint. Liv. 40, 8. *Etiam hostes, armis positis, foedus icisse.* Id. I, 33. *Ancus demandata cura sacrorum flaminibus sacerdotibusque aliis, exercitu novo conscripto profectus Politorium urbem Latinorum vi cepit.* Id. I., 46. *Servius, conciliata prius voluntate plebis, agro capto ex hostibus viritim*  

divi-



*diviso, ausus est ferre ad populum, vellent juberentne se regnare? Nep. 8, 4. Thrasybulus a barbaris, ex oppido noctu eruptione facta, interfectus est. Id. 20, 2. Interim Dione Syracusis interempto, Dionysius rursus Syracusarum potitus est. Futuri denique participium passivum, abjecto futuri temporis indicio, pro praesente sic dicitur, ut, qua in re gerenda vel quid quum agatur, alterum accidat, pronuntiet. Cic. Orat. 22. Recte pictor ille vidit, quum immolanda Iphigenia tristis Calchas esset, moestior Ulixes, moereret Menelaus, obvolvendum caput Agamemnonis esse. Id. de Repub. 2, 9. Omnibus publicis rebus instituendis, qui sibi essent in auspiciis ex singulis tribubus singulos cooptavit cugures. Liv. 1, 18. Adcitus, sicut Romulus augurato urbe condenda regnum adeptus est, de se quoque Deos consuli jussit (Numa Pompilius). Sin vero contraria esse, quae juxta ponuntur, alterum alteri videntur, pro concessiva sententia participium ea vi usurpatur, ut, quum propter alterum ne fieri quidem posse vel certe non futurum alterum suspiceris, nihilo tamen secius accidere idem vel accidisse dicamus. Quo in genere, ad contrariorum intendendam discrepantiam, nonnunquam particulae participiis adjunguntur concessivae, quamquam, quamvis, etsi. Sen. Epist. 99, 18. Hae lacrimae cadunt nolentibus nobis. Cic. off. 1, 2. Quis est, qui nullis officii praeceptis tradendis philosophum se audeat dicere? Id. Fam. 5, 16. Atque haec eo pertinet oratio, ut, perditis rebus omnibus, tamen ipsa virtus se sustentare posse videatur. Id. Orat. 9. Quae est in hominibus tanta perversitas, ut, inventis frugibus, glande vescantur. Suet. Caes. 34. Et quamquam obsidione Massiliae, quae sibi in itinere portas clauserat, summaque frumentariae rei penuria retardante, brevi tamen omnia subegit. cf. ap. eund. c. 48. extr. c. 70. Aug. c. 99.*

b. *Causam* facti quum absoluta participia exhibent, primum vera illa potest et in certa re posita esse, sive per se ipsa eadem efficiens rem, seu in mente vigens agentis: quae appellatur ratio. Cic. Leg. 2, 11. *Nam illud vitiosum*

sum Athenis, quod Epimevide Crete suadente fecerunt Contumeliae fanum et Impudentiae. Id. N. D. 2, 3. C. Flaminius Caelius religione neglecta cecidisse ad Trasimenum scribit. Id. de Repub. 2, 10. Ex quo intelligi potest, permultis annis ante Homerum fuisse quam Romulum: ut jam doctis hominibus ac temporibus ipsis eruditis ad fingendum vix cuiquam esset locus. Id. Verr. 3, 80. Tu vero quibus rebus gestis, quo hoste superato concionem donandi causa advocare ausus es? Liv. 36, 41. Antiochus Ephesi securus admodum de bello Romano erat tamquam non transituris in Asiam Romanis i. e. quoniam opinabatur non transituros. Tac. Hist. 2, 32. Deserere Rhenum irrupturis tam infestis nationibus non conducit. Cogitata vero causa et quae cum re simul, cujus esse causa existimatur, iudicio mentis sumitur, i. e. conditio, qua posita aut fieri aliquid aut non fieri perhibetur, si participiis explicatur, pro conditionali illa ponuntur enuntiatione. Cic. Fin. 2, 35. Maximas virtutes jacere omnes necesse est voluptate dominante. Id. Fat. 15. Nihil potest evenire nisi causa antecedente. Id. N. D. 1, 2. Atque haud scio an pietate adversus deos sublata fides etiam et societas generis humani tollatur. Id. Acad. 2, 12. Ut enim necesse est lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere.

c. Pari modo ea res, cujus adjumento et quasi instrumento perficitur illud, de quo mentionem finitum verbum infert, aut certa est aut posita in conjectura, prout alterum illud ipsum aut certum est, aut mentis fingitur contemplatione. Cic. Leg. 1, 8. Artes innumerabiles repertae sunt docente natura. Id. Lael. 3. Duabus urbibus eversis, inimicissimis huic imperio, non modo praesentia, verum etiam futura bella delevit (Scipio). Id. Acad. 2, 1. In Lucullo tanta prudentia fuit in constituendis temperandisque civitatibus, tanta aequitas, ut hodie stet Asia Luculli institutis servandis et quasi vestigiis persequendis. Liv. 23, 7. Hannibal ingressus Capuam visenda urbe magnam diei partem consumpsit. Cic. Tusc. 3, 10. Ut medici  
causa



*causa morbi inventa curationem esse inventam putant, sic nos causa aegritudinis reperta medendi facultatem reperiemus.* Id. off. I, 1. *Orationem autem Latinam profecto efficies legendis nostris plenior.* Id. Div. 2, 72. *Superstitione tollenda non tollitur religio.*

d. Denique *tempora rerum*, injecta alius rei vel eodem tempore permanentis vel praegressae alteram tumque exactae mentione, iisdem notantur ablativis. Cic. Div. 1, 49. *Idem* (Thales Milesius) *primus defectionem solis, quae Astyage regnante facta est, praedixisse fertur.* Liv. 1, 57. *Avolant Romam. Quo quum primis se intendentibus tenebris pervenis- sent, pergunt inde Collatiam.* Id. 4, 4. *Consules nunquam fuerant: regibus exactis creati sunt.* Suet. Tib. 22. *Tiberius excessum Augusti non prius palam fecit, quam Agrippa juvene interemto.* Insolentior in hac structura futuri participii usus. Plin. H. N. 11, 16. *Rex apum non nisi migraturo agmine foras procedit.*

## Cap. II.

### *De participiis cum praedicato junctis.*

Alterum est genus eorum participiorum, quae, quum forma ac specie sua ad nomen substantivum, quod praemissum vel oratione vel certe cogitatione sit, se accommodent, ipsa re, quam indicant, ad verbum enuntiationis primum referuntur. Nam in superioribus quum participia ad nomen ipsum, cui se adjectivorum ratione adjungerent, tota pertinerent: ut cum praedicato copularentur, aliud adjumentum copulativae aut vocis aut formae requirebatur; hoc autem in genere, quum non propria adjectivorum junctura, sed adpositionis, quam grammatici dicunt, vinculo cum nomine suo consociantur: ipsorum efficitur natura ac ratione, ut ad verbi finiti simul cogitationem referantur. Itaque quum nexus quidam in hac loquendi figura inter participium remque attributam intercedat, hujus duplex omnino modus esse potest: unus qui continetur eo, ut  
prae-

praedicati in animo praegressa cogitatione, ad hanc se quae participio inferitur sententia applicet; alter is, ut praecepta cogitando notione participii, ad hujus argumentum referatur illud, quod verbi accessione finiti subjicitur. Prius ubi usu venit, qualis in agenda re alius sive rei sive hominis affectio et quae conditio fuerit, pronuntiatur, sicut in hoc Ciceronis: *Plato scribens mortuus est* i. e. scribebat, quum moreretur; altera ratio, certa quadam rei hominisve conditione constituta quid evenerit, indicat, ut in hoc quod apud Eutropium legitur; *Quinctius Cincinnatus, agrum quatuor jugerum possidens, suis manibus colebat* i. e. quum possideret agrum, suis manibus colebat.

## 1.

Participium refertur ad praedicati sententiam cogitatione praeceptam.

Quoties igitur eo nexu participium cum verbo junctum est, ut ad hujus cogitationem illud sese referat seque ei subjiciat, aut arctiorem illum angustioremque esse convenit, si ad plenam, quam exhibere volueris, praedicati sententiam necessaria quodammodo sit accessio participii, aut laxiorem eundem solutioremque, si, quod ad conficiendam sententiam non omnino requiratur, id addito subjiciatur participio.

A. Quod igitur primum ad copulationem adstrictiorem illam et quasi interiori utriusque vocabuli attinet, praesentis temporis participio, in re aliqua agenda statum quendam alius aut rei aut hominis simul vel esse vel fuisse totumque cum illa in idem tempus concurrere, declaratur; praeteriti autem, praecessisse quidem tempore actionem participio exhibitam, sed quae inde conditio rei consequuta sit, hanc cum re altera simul constare; in futuri denique temporis participio voluntatis est finisque alicujus notatio, quem quis assequi re agenda ac perficere voluerit. Ac praesentis primum temporis participia, quibus aut agenda rei modus quidam ac ratio, si ad agentem ipsum illa pertinent, aut alius rei, ad quam spectet tendatque actio, quaedam indicatur affectio, ut vernacule interpretemur, aut participia et ipsi adhibemus, aut praepositiones



*bei, mit, in*, substantivo nomini praefixas, aut particulas *während, indem, so-  
dafs*, cum verbo finito junctas, aut in negatis denique sententiis particulam  
*ohne*, sive infinitivo verbi, sive nomine subsequente. Cic. Acad. 1, 4. *Qui  
erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambu-  
lantes in Lyceo.* Id. Orat. 1, 61. *Summa voce versus multos uno spiritu  
pronuntiare consuescebat* (Demosthenes), *neque is consistens in loco, sed  
inambulans*, intellige: pronuntiabat. Id. Brut. c. 84. *Est enim et minime  
inepti hominis et ejusdem etiam faceti, quum de sapientia disceptatur, hanc  
sibi ipsum detrahere, iis tribuere illudentem, qui eam sibi arrogant.*  
Id. Tusc. 1, 39. *Nonne modo pueros, modo adolescentes in cursu a tergo  
insequens necopinantes assequuta est senectus?* Eadem est praeteritorum  
vis participiorum, nisi quod, quum passiva eorum significatio sit, non rei sta-  
tum per se ipsum, sed effectum illum aliunde actioneque ex antegressa conse-  
cutum declarant. Quo in sensu vernacule eloquendo vel ipso participio, vel  
praepositione *nach* cum substantivo, vel particula *nachdem* cum verbo finito  
utimur. Tac. Germ. 22. *Lauti cibum capiunt Germani.* Liv. 40, 6. *Inter  
hanc divisam hostiam copiae armatae traducuntur*, i. e. traducuntur  
armatae, in armis. Plin. Ep. 7, 25. *Expertus scribo, quod scribo.* Cic.  
N. D. 2, 52. *Aegyptum Nilus irrigat, mollitosque et oblimatos ad se-  
rendum agros relinquit.* Id. Tusc. 1, 45. *Condiunt Aegyptii mortuos:  
Persae etiam cera circumlitos condunt.* Futuri denique participium, pas-  
siva forma, cum verbis hujusmodi jungi constat, ut sunt *collocare, dare, tra-  
dere, mittere, suscipere, conducere, curare*, alia, ad indicandum id, quod quis  
assequi aliquid faciendo velit: quod nos idem vel adjumento particularum *um,  
damit*, vel praepositionis *zu*, substantivo addito, dicere solemus. Nep. 18, 13.  
*Antigonus autem Eumenem mortuum propinquis ejus sepeliendum tradi-  
dit.* Liv. 42, 37. *Marcio et Atilio legatis Aetolia et Thessalia circum-  
eundae assignantur.* Cic. Phil. 3, 2. *Quid hic victor non audebit, qui  
— falsas leges C. Caesaris nomine et falsa decreta in aes incidenda et  
in Capitolio figenda curavit.*

Ad hunc eundem participiorum usum facile intelligitur etiam has referendas loquendi formulas esse, Latini sermonis proprias:

a. Vocabula *videndi*, *audiendi*, et quae his cognata intellectu sunt, quum simul ad rem actionemque in sensus cadentem pertinent, quo in genere vermacula loquendi consuetudo accusativum infinitivumque usurpat, praeterquam quod in passivis etiam nos participia adhibemus, non infinitivo Latine loquentes, sed participio utuntur, ut, non quid fiat agaturque, sed quo in statu habitumque res sit constituta, quum vel videmus eam vel audimus, pronuntietur. Cic. Fin. 3, 2. *Catonem vidi in bibliotheca sedentem, multis circumfusum stoicarum libris.* Plura hujus generis exempla, rei in vulgus notissimae, vide-sis ap. Ramshorn. p. 459.

b. Cum verbis *habendi*, *tenendi* aliisque horum sensui affinibus participium solet praeteriti passivum jungi, in primis verborum quae cognoscendi continent significationem, ut, quum finita istorum verborum forma nihil praeter actionem ipsam noscendi indicetur, simul eventus illam consequuti quaedam perpetuitas et constantia animo percipiatur. Cic. Caecil. 4. *Ad meam fidem, quam habent spectatam jam et diu cognitam, confugiunt.* Liv. 40, 8. *Ne Romanis quidem exemplis abstinui, quae aut visa aut audita habebam.* cf. Ramsh. l. l.

c. Consimilis huic alia verborum structura est, qua, verbis *optandi cupiendique* subjuncto praeteriti temporis participio pro praesentis infinitivo, quum ita, non ut fiat res aut suscipiatur, sed ut perfecta jam et absoluta sit, cupere aliquis dicatur, voluntatis optationisque vis vehementius intenditur. Cic. Fam. 13, 9. *A te peto, utilitatem sociorum per te quam maxime defensam et auctam velis.* cf. Ramshorn. l. l. qui quidem quam urbanitatis in his deprehendere significationem sibi visus est (p. 459. extr. et p. 402. not. 7.), hanc, ut alia, quae vir ingeniosus subtilius videtur quam verius disputavisse, equidem non agnosco. Quae enim sunt urbanitatis in his indicia? Cic. Fin. 4, 24. *Non est tamen aequè miser, qui patriae consulit, et is, qui illam existin-*  
*ctam*



*ictam cupit.* Liv. 25, 3. *Patres ordinem publicanorum in tali tempore offensum nolebant.* Ego nullum illius ne vestigium quidem cerno.

B. In aliis autem locis liberior solutiorque ille participii finitique verbi nexus est, quum ad amplificandam attributae rei sententiam explanatiusque eloquendam, res alia, quae ut concipiatur animo ad intelligentiam illius ipsam non sit necessarium, participii adjumento subjicitur. Qua sententia velut subsidiaria fieri potest ut simul tempus actionis primariae, vel definitius illud vel infinitius, notetur.

a. Ac primum quidem nulla temporis ratione habita haec dicuntur: Cic. Att. 9, 10. *Nefarius Hippias, Pisistrati filius, qui in pugna Marathonica cecidit, arma contra patriam ferens.* Id. Fin. 5, 24. *Quae quidem (recte facta) sapientes sequuntur, utentes tamquam duce naturam.* Liv. 40, 7. *Percurrit index ad Persea ferro subinctos nuncians cum Demetrio quatuor adolescentes venire.* Virg. Aen. 3, 690. *Talia monstrabat relegens errata retrorsum litora.* Cic. Att. 7, 2. *Brundisium venimus usi tua felicitate navigandi.* Futuri participii activa forma in hoc locutionis genere aut omnino, quid sit eventurum ex re commemorata, subjicit: Liv. 40, 8. *Sedeo miserri- mus pater iudex inter duos filios, — aut conficti aut admissi criminis labem apud meos inventurus.* Curt. 4, 9, 9. *Darius pervenerat ad Arbela vicum nobilem sua clade factururus.* Id. 4, 3, 22. *Aurea catena devinxere simulacrum araque Herculis inseruere vinculum, quasi illo deo Apollinem retenturi.* Iust. 29, 2. *Pacem cum Aetolis facit, non quasi alio bellum translaturus, sed ut Graeciae quieti consulturus;* aut simul consilii finisque notationem, ad quem tendat praegressa actio, denuntiat; Curt. 8, 2, 13. *Hephaestionem in regionem Bactrianam misit, commeatus in hiemem paraturum.* Id. 9, 4, 12. *Jam vestem detraxerat corpori, projecturus semet in flumen.* Iust. 11, 11. *Ad Jovem deinde Hammonem perguit consulturus et de eventu futurorum et de origine sua.* Sin vero idem participium, praemissae adjunctum sententiae, conditionalis subsequitur sententia, non simplici-

ter illo, quid in re commemorata vel sit futurum vel fuerit, indicatur, sed, quid futurum esset vel fuisset, si res alia quaedam accidisset. Qui loquendi usus, ut is de quo proxime mentionem fecimus, haud scio an apud sequiores modo scriptores decrescentis Latinitatis inveniatur. Curt. 8, 2. *Jure interfectum Clitum Macedonens decernunt, sepultura quoque prohibitori, ni rex humari jussisset.* Plin. Ep. 3, 21. *Dedit enim mihi quantum maximum potuit, daturus amplius, si potuisset.*

b. Nonnunquam autem, ut dictum est, ita participium actioni subjicitur primariae, ut simul temporis, quo accidere illa vel accidisse perhibetur, notationem quandam habeat, sic tamen, ut etiam in his affectionis habitusque rei cogitatio praevaleat. Nep. 24, 2. *Major annos sexaginta natus decessit* (Dionysius) *florente regno.* Cic. Brut. 24. *Pleraque scribuntur orationes habitae jam, non ut habeantur.* Id. Phil. 2, 10. *Ne pateretur ferri, ut absentis ejus* (Caesaris) *ratio haberetur.* Id. Sext. 9. *Valet apud nos clarorum hominum et bene de republica meritorum memoria etiam mortuorum.* Id. N. D. 2, 57. *Auditus autem semper patet; ejus enim sensu etiam dormientes egemus.*

## 2.

Praedicatum refertur ad participii sententiam cogitatione praeceptam.

Jam ad alterum eorum participiorum genus, quae cum verbo enuntiationis finito copulantur, idque ex nostra descriptione postremum, delati sumus, cujus hanc esse rationem diximus, ut, ipsius participii praegressa cogitatione, ad hujus sese notitiam praedicati referat et applicet sententia. Quo in genere quum id, cujus mentionem participium injicit, quoniam, si rite ad cogitandi regulas exigere rem volueris, prius cadit in cogitationem, quam finiti verbi sententia, ipsum non possit ab hoc suspensum esse; tamen partim eo quaedem utriusque consociatio continetur, quod participium nomini quacunque ratione cum praedicato copulato appositionis vinculo subjungitur; partim, quod ea est participii



natura, ut, quum per se ipsum absolvere sententiam et concludere non possit, illius concepta notitia simul finiti verbi alicujus subsequuturi quasi expectatio quaedam ac suspicio cogitantibus objiciatur. Neque in verborum collocatione, quam quum concinnitatis ratione, tum pondere cujusque sententiae majore minoreve constitui et conformari constat, quicquam esse patet, quo ipsa sententiarum natura commutetur. Quodsi participium quidem in hac verborum conformatione non obnoxium verbo finito nec subjectum est, hujus rursus duplex ratio esse potest: una haec, ut ipsum subjectum participio sit et ab ejusdem informatione suspensum: quod tum apparet evenire, quum quaedam participio causa continetur, qua vis rei attributae eventusque constituatur ac terminetur, ut in hoc (Caes. B. G. 7, 11.): *Caesar, quod oppidum Genabum pons fluminis Ligeris continebat, veritus, ne noctu ex oppido profugerent, duas legiones in armis excubare jubet*: nam metus ille causa fuit, cur juberet; altera ea, qua praedicatum, etsi nulla sit necessitudinis vinculo participii cum argumento junctum, sed utrumque alterum ab altero liberum ac solutum, tamen sic ad illud referatur, ut tum existimetur accidere vel accidisse, quum id ipsum, quod participio continetur, evenire vel evenisse putatur, ut in hoc: *Talia agentem atque meditantem (Caesarem) mors praevenit*. Suet. Caes. 44. i. e. talia agebat atque meditabatur, quum eum mors praevenit.

1. Quod igitur ad illud genus attinet, quo pendere ex participii notione aptamque esse rem attributam dixi, duo primum dignoscenda sunt. Namque aut ea sententiarum conformatio atque constructio est, ut, rebus arctiore vinculo inter se nexis et aptis, quae participio affertur cogitatio, ipsa judicetur causa fuisse, cur eveniret alterum, quod verbo primario enuntiatur: Cic. Mur. 30. *Fatebor enim, me quoque in adolescentia, diffisum ingenio meo, quaesisse adjumenta doctrinae*; aut tantam quidem non esse in altero vim et efficientiam cogitamus, ut inde continuo eveniat alterum vel sit consequitum, sed tamen aliquam eo contineri causam et opportunitatem, qua, ut *possét*, subsequuta rerum temporumque convenientia, evenire alterum; effectum sit; Cic. off. 2, 23.

(Lacedaemoniorum republica) etiam reliquam Graeciam evertit contagionibus malorum, quae a Lacedaemoniis profectae manarunt latius. Atque quum participio id continetur, unde praedicati vis et origo sit repetenda, vel causa in eo esse potest *per se ipsa* efficiens, ut, quae res praedicato ponitur, perficiatur, vel constituta ac vigenis in agentis mente ac ratione, qua is adductus rem aggrediatur, vel denique ea res, cujus adjumento et quasi adminiculo ad exitum id perducatur, quod fieri factumve esse dicimus. Quorum omnium haec natura est, ut, quum res ipsa, quae perficitur, aut certa ac definita sit, seu tempore seu eventu, si id quod semel definitoque tempore agitur actumve est, in mentionem adducitur; aut posita in cogitatione, sive tota versatur in conjectura loquentium, sive factam quidem esse vel fieri constat, sed iteratis eandem vicibus temporibusque non satis definitis, eadem ratio pariter ad illam rem pertineat, qua effectae causam contineri volumus; ut sit vel certa ac definita, vel posita et cogitata. Et causam quidem praedicati definitam certamque quum participium continet, eam, si per se ipsa efficere rem judicatur, verbo usi, vernaculo sermone, per conjunctionem *weil*; sin vero in animo agentis ac judicio viget, i. e. rationem, per particulam *da* interpretamur; aut in verbi locum adscito nomine praepositionibus utimur *wegen, aus, vor*; praeterquam quod in interrogationibus, quoniam in his Latini sermonis cum Graeco illud commune est, ut id ipsum possit, in quo vis quaestionis ac momentum situm est, participii adjumento pronuntiare, plerumque ita sententiarum rationem immutamus, ut his, quae Latine participio declarantur, in primariam conversis enuntiationem, huic cetera tamquam secundariam sententiam subjiciamus. Cic. off. 2, 7. *Dionysius cultros metuens tonsorios candente carbone sibi adurebat capillum.* Nep. 24, 2. *Pyrrhus, quum Argos oppidum oppugnaret in Peloponneso, lapide ictus perit.* Curt. 3, 12, 16. *Hephaestion longe omnium amicorum carissimus erat regi, cum ipso pariter educatus.* Cic. Fin. 3, 11. *Quam vero utilitatem, aut quem fructum petentes scire cupimus illa, quae occulta nobis sunt, quomodo moveantur?* Liv. 1, 1.



*Percunctatum deinde* (Latinum ferunt), unde aut quo casu profecti domo, quidve quaerentes in agrum Laurentem exissent? Hoc in genere sunt ea participia, quae cum ablativis nominum, quibus causa rei actae continetur, per abundantiam quandam orationis juncta, aut participiis et ipsi exprimere, aut omnino praetermittere et suppressere ita solemus, ut nihil aliud quam praepositionem causalem, *wegen, aus, vor*, nominibus illis praefigamus. Hujusmodi sunt *ductus, actus, motus, incitatus*, alia. Cic. Lael. 9. *Amicitiam non spe mercedis adducti, sed quod omnis ejus fructus in ipso amore inest, expetendam putamus.* Id. Famil. 4, 12. *Reliquos aiebant profugisse metu perterritos.* Sin vero in cogitatione causa rei posita est, primum fieri potest, ut eventu proposito certo, quaedam hujus causa, licet non sit vera, tamen fingatur esse, ad factam rem excusandam: qua in causa pro falsitatis indiciiis particulae *tamquam, velut*, et quarum his conveniens intellectus est, adjungi participiis solent. Liv. 40, 7. *Commissatores, tamquam ad caedem suam venientes, aditu januae arceat.* In aliis autem sententiis non causa solum ipsa, sed etiam eventus ab illa suspensus ita cogitatione ponuntur, ut aut sint vera, aut certe possint esse: prius illud, si veri facti iteratio participio significatur; alterum, si pro conditionali dicitur illud sententia: in quo loquendi genere nos aut conjunctionem *wenn*, aut praepositiones *bei, in*, alias, usurpamus. Cic. Fin. 2, 3. *Voluptatem hanc sentiunt omnes, quam sensus accipiens movetur et jucunditate quadam perfunditur.* Id. Phil. 5, 11. *Omne malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius.* Id. Tusc. 5, 35. *Quid, quod ne mente quidem recte uti possumus multo cibo et potione completi?* Id. N. D. 2, 40. *Luna tum subjecta atque opposita soli radios ejus et lumen obscurat, tum ipsa incidens in umbram terrae, quum est e regione solis, repente deficit.* In his omnibus et eventus ipse et hujus causa vera i. e. posita in rerum natura sunt; pronuntiantur autem pro cogitatis, quoniam non de re certo tempore definita agitur, sed ejusdem facti infinitis temporibus repetiti proponitur iteratio. Quae sequuntur, in conditionali versantur loquendi genere.

nere. Cic. Fam. 6, 10. *Hoc eò pertinet, ut nihil existiment (tui) esse tam difficile, quod non, pro te mihi susceptum, iucundum sit futurum.* Id. Orat. 3, 46. *Haec tantam habent vim, ut paullum immutata (i. e. si immutentur) cohaerere non possint.* Rem vero pro adjumento in alia re gerenda habitam et aliquam agendi quasi viam tum participia continent, quum, qui perficere aliquid dicitur, seu animantibus illud oratione propria ac simplici tribuitur, seu ad inanimatam rem vis quaedam agendi et efficientia transfertur, quo pacto illud perficiat, declarant; et quam in causarum notatione esse diversitatem illorum dixi, ut vel in re vera ac certa, vel in cogitata ac sumta versentur, eadem ad hunc locum pertinet. Vernacule autem hac in ratione, si participiis uti nobis non et ipsis licet, aut particulas substituimus *indem, dadurch dass,* et in cogitata re etiam *wenn,* aut praepositiones *durch, vermittelt,* cum substantivis junctas. Curt. 4, 1, 21. *Cum regiaë vestis insignibus hortum intrant, quem forte steriles herbas eligens Abdolominus repurgabat.* Cic. N. D. 2, 52. *Diei noctisque vicissitudo conservat animantes, tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi.* Ibid. c. 39. *Aër humorem colligens terram auget imbribus; tum effluens huc et illuc ventos efficit.* Liv. 2, 32. *Inde apparuisse, ventris haud segne ministerium esse, nec magis aliquam alere eum reddentem in omnes corporis partes hunc quo vivimus vigemusque — sanguinem.* Cic. Div. 2, 56. *Croesus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.* Id. Orat. 2, 32. *Videndum est oratori, quo quidque referat et quo intuens ab eo, quodcunque sibi proposuerit, minus aberret.*

b. In aliis locis id participio contineri dixi, in quo non causa quidem ipsa rei attributae sita esset, ut haec non posset non evenire, sed aliquid tamen, quod fieri, priusquam alterum accideret, consentaneum esset, quoque facto, *posse* illud vel *potuisse* eventum habere, intelligeretur: ut necessitudinem quandam inter participium et praedicatum in his, quamquam nec mutuum illam nec necessariam, intercedere appareret. Cic. Manil. 9. *Hunc (Mi-*  
thri-



thridentem) in illo timore et fuga Tigranes, rex Armenius, excepit, diffidentemque rebus suis confirmavit et afflictum erexit perditumque recreavit. Quamquam enim propterea, quod Mithridates rebus suis diffidebat non fuit necesse Tigranem confirmare eum, tamen, nisi diffideret et afflictus perditusque esset, neque ille confirmasset et erexisset recreassetque, nec facere id potuisset. Sen. Ep. 84. *Alit lectio ingenium et studio fatigatum reficit.* Liv. 40, 7. *Convivium eo die sodalium, qui simul decurrerant, uterque habuit, quum vocatus ad coenam ab Demetrio Perseus negasset.* Negare non potuisset, nisi fuisset vocatus. Just. 17, 2. *Pyrrhus Tarentinis adversus Romanos laturus auxilium, ab Antigono naves ad exercitum in Italiam deportandum mutuo petit.* Caeterum, quod ad futuri temporis participium attinet, hujus et in sententia postremo loco posita, et in iis, quae infra afferentur, aliam esse rationem manifestum est, atque in illis, quae suspensi a praedicto participii exempla supra pag. 19. posui. Nam illis quidem sive omnino facti eventus probebatur, sive finis et quasi meta, ad quam tenderet actio, declarabatur, utrumque apparet concipi animo non posse, nisi prius ad illud ipsum, cujus eventum finemque volueris ostendere, mentis cogitatio conversa sit: unde participia illa non per se ipsa constituta et sui quasi juris esse, sed suspensa et apta a praedicto intelligitur; in his autem, quum gerendae rei consilium ac voluntas significetur, unde, quod praedicto continetur subsequiturque factum, quo pacto evenerit, vel potuerit evenire, pernoscatur, non participium ad verbum, sed verbum ad participium referri nemo est qui non perspiciat.

2. Longius autem quam in superioribus ab illa causarum eventorumque necessitudine participii recedit ratio, si nulla in ipso praedicti vel originis causa vel excusatio est, sed tantum, re aliqua aut permanente aut tum jam peracta aut etiam instante quid evenerit, ostenditur. Quo in genere hoc primum intercedit discriminis, quod vel convenientia quaedam concentusque esse inter utramque rem potest, vel discrepantia contrariorumque compositio; tum in utraque ratione aut certa res spectatur, aut cogitata et sumta.

a. Primum igitur, si, quae participio verboque primario enuntiantur, congruunt inter se atque ita consentiunt, ut simul ea fieri posse per animi cogitationem liceat, in re certa ac vera, ad interpretanda participia, aut conjunctionibus utimur, in praesente quidem ac futuro *als, indem, während*, in praeterito *nachdem*; aut praepositionibus, in praesente *bei, auf, während*, in praeterito *nach*; aut denique utramque rem plena absolutaque enuntiatione comprehensam apto copulationis vinculo alteram cum altera jungimus. Cic. Tusc. 1, 37. *Quae quidem (mors) si timeretur, non L. Brutus, arcens eum reditu tyrannum, quem ipse expulerat, in proelio concidisset* i. e. non tentasset arcere nec concidisset. Curt. 8, 5, 6. *Non deerat talia concupiscenti perniciosa adulatio* i. e. quum talia concupisceret, non deerat ei cet. Id. 8, 1, 52. *Haec dicentis latus hasta transfixit.* Liv. 22, 37. *Caedem Flamini consulis exercitusque adlatam aegre tulit rex Hiero.* Cic. Tusc. 3, 12. *Dionysius quidem tyrannus, Syracusis expulsus, Corinthi pueros docebat.* Just. 31, 8. *Profectis ab Illo Romanis Eumenes rex cum auxiliis occurrit.* Caes. B. G. I, 20. *Divitiacus multis cum lacrimis Caesarem complexus obsecrare coepit* cet. Curt. 5, 2, 16. *Rex Persidis fines aditurus, Susa urbem Archelao et praesidium trium millium tradidit.* Frequentissimum autem horum usum esse participiorum in praeterito constat, ubi, si duae res gestae commemorantur, quarum altera alteram excipiat, eam, quae antegressa alteram peractaque prior esse traditur, Latini, brevitatis concinnitatisque studio, participii notatam praeteriti forma praemittunt: qua in sententiarum conformatione recepta inter nostrates loquendi consuetudo utramque rem amat peculiari pleneque effere enuntiatione. Liv. 6, 32. *T. Manlius Gallum, cum quo provocatus manus conseruit, in conspectu duorum exercituum caesum torque spoliavit.* Id. 40, 7. *Ad has excipiendas voces speculator ex convivis Persei missus, quum incautior observaretur, exceptus a juvenibus male mulcatur.* Et ibidi. *Demetrius per vinum, quod excluderetur, paullisper vociferatus, in convivium redit.* Caes. B. G. 2, 4. *Sic reperiebat (Caesar): plerosque*



que Belgas ortos ab Germanis Rhenumque antiquitus transductos, propter loci fertilitatem ibi consedissee. Hoc in genere est, si praegressi verbi participium per abundantiam quandam orationis alteri praedicato praemittitur. Liv. 22, 20. *Quum urbem (Romani) vi cepissent, captamque diripiissent, Karthaginem inde petunt.* In re autem cogitata ac sumta, qua utriusque rei eodem tempore concursus declaratur, aut conjunctiones *wann, so oft, wenn*, aut praepositiones usurpamus eas, quarum supra mentionem feci. Cic. off. 1, 1. *Sed tamen nostra legens, — de rebus ipsis utere tuo iudicio.* Id. Nat. D. 3, 33. *Quid dicam de Socrate? cuius morti illacrymari soleo Platonem legens.* Plin. Ep. 8, 20. *Ad quae noscenda iter ingredi, transmittere maria solemus, ea sub oculis posita negligimus.* Sen. Ep. 4. *Nullius autem rei facillor amissio est, quam quae desiderari amissa non potest.* Nep. 11, 2. *Nam nisi ejus adventus appropinquasset, non prius Thebani Sparta absecessissent, quam captam incendio delessent.* Tac. Germ. 3. *Fuisse apud eos et Herculemem memorant primumque omnium virorum fortium ituri in proelia canunt.* Plin. Hist. N. 10, 23. *Ciconiae abiturae congregantur in loco certo.* Sen. Tranq. 11. *Magna pars hominum est, quae navigatura de tempestate non cogitat.*

b. Sin vero contraria contrariis referuntur, quorum haec ratio est, ut, quum praemisso altero ne futurum quidem alterum conjicere possis, tamen si nihilo secius hoc evenire vel evenisse dicas, ejus et veritate et vi multo vehementius permoveamur, in concessivarum locum sententiarum participia succedunt; quarum vim si plenis referre sententiis lubet, conjunctionibus *obgleich* et *wenn gleich*, illa in re certa, hac in sumta, vernacule utimur; sin substantivis, praepositiones his praefigendae sunt *ungeachtet, trotz*. Etiam Latini nonnunquam ejusmodi particulas, ut *quamquam, etsi*, participiis adjungunt. Cic. Fin. 4, 2. *Veteres Peripatetici Academicique re consentientes vocabulis differebant.* Curt. 3, 2, 17. *Itaque veritatis impatiens hospitem ac supplicem, tunc maxime utilia suadentem, abstrahi jussit ad capitale supplicium*

eium. Id. 6, 11, 4. *Quis non erubesceret, Macedo natus, homines linguae suae per interpretem audire.* Liv. 34, 23. *Romanos non rogatos ultro adversus tyrannum Nabin obferre auxilium.* Cic. Tusc. I, 28. *Ut oculus, sic animus se non videns alia cernit.* Id. Orat. 2, 58. *Risus — ita repente erumpit, ut eum cupientes tenere nequeamus.*

Suet. Galb. 19. *Loricam tamen induit linream, quamquam haud dissimulans, parum adversus tot mucrones profuturam.* Id. Caes. 70. *Una voce — tam facile flexit (milites), ut — quamvis recusantem ultro in Africam sint sequuti.* Id. Tib. 25. *Summaque vi Germanicum ad capessendam rempublicam perurgebant, quamquam obfirmate resistantem.* In postremo quidem loco particula *quamquam* cum participio ita subjuncta finito verbo esse videtur, ut solet in plenis sententiis, nulla subsequente apodosi, pro *tamen* usurpari.



# B e r i c h t

über

das Schuljahr von Michaelis 1825 bis Michaelis 1826.

## E r s t e r A b s c h n i t t .

Lehrgegenstände.

### Prima

Ordinarius der Klasse war der Direktor.

1. Latein: Bis Ostern 10 Stunden wöchentlich \*), später 9 Stunden, davon 3 St. Cic. Orator. ganz. Hr. D.L. Petrenz. — 2 St. Liv. lib. I. kursorisch; hierauf Tacit. Agricola. Der Vortrag in latein. Sprache. Prang. — 2 St. Hor. Od. III, 11—30.; IV. ganz und Sat. II, 1—4. 6. 7. D.L. Schopis bis Johannis, später Hr. D.L. Dr. Lünemann. — 1 St. bis Ostern Döring. Eclogg. etc. die Abschnitte aus Sil. Ital., Claudian und aus Ovid bis Fast. II, 850. Hr. D.L. Petrenz. — 2 St. Exercizien nach Döring's Anleit. 4r Kß. die Briefe und von den Reden Nro. 6. und 8. Alle 3 Wochen eine freie Ausarbeitung. Hr. D.L. Petrenz.

2. Griechisch: bis Ostern 8 St., später 7 St. Davon 3 St. Thucyd. I, 89. bis zu Ende, und VII. ganz. — 2 St. Euripid. Hecub., Phoeniss., Orest. Voran ein zusammenhängender Unterricht in der griech. und lat. Metrik. Bis Johannis D.L. Schopis, u. später Hr. D.L. Petrenz. — Bis Ostern 2, später, des hinzugekommenen philosophischen Vorbereitungsunterrichts wegen, 1 St. Hom. Iliad. XV—XVIII., und ausgewählte Idyllen des Theocrit. Hr. D.L. Petrenz. — 1 St. Exercizien nach Günther's Anleit. 2r. Kß. Nro. 85.—103. mit steter Vergleichung der syntaktischen Regeln in Matthiae's Schulgrammat. Derselbe.

3. Deutsch: 2 St., wovon 1 St. Poetik, nebst einem Abriß der Geschichte der deutschen Poesie, nach Heinsius Teut 3r Thl., und 1 St. prakt. Stilübungen in eigenen Auf-

\*) Bei allen nachfolgenden Angaben ist die wöchentliche Stundenanzahl zu verstehen.

Aufsätzen und Neben, bezgl. poetische Versuche in Fabeln, Schilderungen von Natursze-  
nen und Gleichnissen. Hr. D.L. Dr. Lünemann.

4. Logik: Von Ostern bis Johannis 2 St. Ob.L. Schopis, später der Va-  
kanz wegen ausgefetzt.

5. Mathematik: 4 St. bis Johannis. Unbestimmte Analytik, Statik und Hy-  
drostatik, nach eigenen Hefen. D.L. Schopis.

6. Physik: Nach Kries Lehrbuche, 2 St. Vom Weltgebäude und von den allge-  
meinen Eigenschaften der Körper. Bis Ostern D.L. Schopis, später Hr. D.L. Dr.  
Lünemann.

7. Geschichte: 3 St., nach Pölig, neue Geschichte Hr. D.L. Dr. Lünemann.

8. Geographie, nach Stein, 1 St. Wiederholung der Geogr. von Asien, Au-  
stralien, Nord- und Ost-Europa. Derselbe.

9. Religion nach Niemeyers Lehrb. 2 St. Nach Beendigung der Religionslehre  
die Sittenlehre. Prang.

Zusammen 32 St., ohne die außerordentlichen 2 für das Hebr., und 2 für die  
Gesanglehre.

## S e c u n d a

Ordinarius Hr. D.L. Petrenz.

1. Latein: Bis Johannis 11, später 13 St. Davon 3 St. Livius nach Bauers  
Auszuge L. XXXV, 11 bis XLV, 42. Hr. D.L. Petrenz. — 2 St. Cicero pro Mi-  
lone. Hr. D.L. Lünemann. — Bis Johannis 2, später 3 St. Virg. Aen. VI, 281  
bis zu Ende und 1. Der Vortrag vom 2ten Quartal ab lateinisch. Ausgezeichnete  
Stellen memorirt. Prang. — 1 St. Sprachübungen, im letzten Quartale. Prang. —  
2 St. Exercizien nach Webers Übungsschule für den lat. Stil. 1te Abth. No. 1—44  
und 170—178. Die ältern Sekundaner liefern außerdem monatlich einen freien Aufsatz  
histor. Inhalts. Hr. D.L. Dr. Lünemann. — 2 St. Syntax nach Zumpt, bis zur  
Synt. ornata. Bis Ostern Hr. D.L. Lünemann, und später Hr. D.L. Petrenz.

2. Griechisch: 7 St., davon 3 St. Xenoph. Anabas. IV, 3 bis VII zu Ende.  
— 2 St. bis Ostern Hom. Odyss. IX. X, nach Ostern Iliad. IX und X. Hr. D.L.  
Dr. Lünemann. — 2 St. Syntax nach Matthiae's Schulgramm. und Exercizien nach  
Kost's und Wüstemann's Anleit. 4r. R3. No. 1—25. Hr. D.L. Petrenz.

3. Deutsch: 2 St., davon 1 St. die Regeln der Poetik bei der Lesung und Er-  
klärung von Musterstücken entwickelt, mit Berücksichtigung des Versmaafes, nach Erhard's  
Schaus-



Schauplatz deutscher Dichter 2r Kß, und 1 St. praktische Stilübungen in freien Aufsätzen und Reden. Hr. Küßner.

4. Mathematik: Bis Johannis 4 St. D.L. Schopis, später 2 St. Hr. D.L. Dr. Lünemann; im Winter: Fortsetzung der Algebra bis zur Auflösung von Gleichungen höherer Grade, die sich auf quadratische zurückführen lassen. Stereometrie. Logistische Geometrie. Im Sommer: arithmet. und geometr. Reihen und Logarithmen (nach Vega).

5. Physik: 2 St. nach Kries Lehrbuch: Aus der angewandten Naturlehre die phys. Geogr., Meteorologie, vom Schalle; besondere N. L. Abschn. 2—5. Bis Johannis Hr. D.L. Dr. Lünemann, und später Hr. Lehmann.

6. Geschichte: 3 St. alte Gesch. nach Bredow's Handbuch, von Alexander d. Gr. bis zur Zerstörung des weström. Reichs. Hr. D.L. Dr. Lünemann.

7. Geographie: 1 St. nach Stein. Wiederholung der Geographie von Asien, Amerika und Süd-Europa. Derselbe.

8. Religion: 2 St. nach Niemeyer's Lehrbuche; die Geschichte der christlichen Religion und Kirche. Prang.

Zusammen 32 St., ohne die außerordentlichen für das Hebr. und den Gesangsunterricht.

### Tertia

Ordinarius: bis Johannis der D.L. Schopis, seit dessen Tode  
Hr. G.L. Lehmann.

1. Latein: Bis Johannis 8, später 10 St. Davon 2 St. Cornel. Nep. Dion bis Hannibal incl. Hr. Lehmann. — 2 St. Ovid. Met. nach Seidel's Auszuge Lib. IV—VII, 210. Bis Johannis Hr. Lehmann, später Herr Merleker. Nach Eintritt der Vakanz noch 2 St. Jul. Caes. de bello Gall. I., 1—30. Hr. Lucks. — 2 St. Syntax nach Otto Schulzen's Schulgram. mit Ergänzungen, zuletzt Wiederholung der Etymologie und leichte Extemporalien. Hr. Lehmann. — 2 St. Exercizien nach Straß Anleit. S. 1—74. Derselbe. Wdentlich wurden 2 Blätter aus Scheller's Wörterbuche memorirt.

2. Griechisch: Bis Johannis 7 St., wovon 2 St. Jakob's Elementarb. 2r Kß. A. II—VII. Anekdoten und Briefe. — 3 St. Hom. Odyss. VI—VIII. Vorangeschickt wurde die Lehre vom griech. und lat. Hexameter und Pentameter. — 1 St. Grammatik. Das Homer. Nomen und Pronomen, dann die Lehre vom attischen Verbo wieder-

wiederholt, fester eingeprägt und durch die epischen Formen erweitert. Hierauf S. 110 — 117 incl. aus der Schulgrammatik. — 1 St. Exercizien nach Kofl's und Wiffenmann's Anleit. 1r. Thl. 2r. Kk. Einfache Sätze und Casus obliqui, die unter I. aufgeführten Beispiele. — Nach den Sommerferien wurden in der Vakanz der Lesung des Elementarbuches 1 St. und der Gramm. 1 St. zugelegt. — Sämmtliche griech. Lekzionen Hr. Küßner.

3. Deutsch: 3 St., davon 2 St. Lesung von Abschnitten aus Musterschriften. Wilmsen's Lehrstücke, und 1 St. praktische Stilübungen. Alle 3 Wochen ein freier Aufsatz. Deklamiren theils in der Klasse, theils öffentlich am 3. Aug. Bis zum 1. Juni Hr. Küßner, später Hr. Lehmann.

4. Mathematik: Bis Johannis 6 St. Im Winter die Lehre von den Quadrat- und Kubikzahlen. Ausziehen der Wurzeln, Darstellung der Wurzelgrößen als Bruchexponenten, und umgekehrte Rechnung mit denselben; arithmetr. und geometrische Proportionen. Im Sommer: Beendigung der Planimetrie, Algebra bis zur Auflösung quadrat. Gleichungen. Bis Johannis D.L. Schopis, später Hr. Lehmann in 2 St.

5. Naturlehre: 2 St. nach Kries Lehrbuch der N. L. Allgem. Naturl. und die besondere bis zur Lehre vom Magnetismus incl. Experimente. Hr. Lehmann.

6. Geschichte: 3 St. nach Pölitzen's kleiner Weltgesch. Mittlere Geschichte von 1273 ab, dann die neue bis auf unsere Zeiten. Hr. Küßner.

7. Geographie: 1 St. nach Stein's Geographie für Gymnasien. 7 Reiche Europens, Afrika, Nord- und Mittel-Asien. Derselbe.

8. Religion: 2 St. nach Schulzen's Hauptlehren\*). Die Glaubens- und Sittenlehre. Sprüche und Liederverse memorirt. Hr. Küßner.

9. Kalligraphie: 2 St. nach Hennig's Berliner Vorschriften 28 Hest. Hr. Brunkow.

Zusammen 34 St., außer den 2 hebr. Stunden für künftige Theologen 10, und 2 St. Gesanglehre, wovon unten.

#### Quarta

Ordinarius: bis Johannis Hr. Lehmann, später Hr. Lück.

1. Latein: 8 St., davon 2 St. Jakob's Lesebuch 1. Abth. I—IV incl. — 2 St. Phaedrus lib. I und V. Vorausgeschickt die Quantitätslehre und von der Metrik

so

\*) Künftig nicht mehr nach diesem Lehrbuche.



so viel, als zur Messung der Verse des Phaedrus erforderlich ist. — Ausgewählte Fabeln memorirt und vorgelesen. — 2 St. Grammatik nach D. Schulzens Schulgrammatik, Wiederholung der Formenlehre, Etymologie und die Hauptregeln der Syntax, nebst leichten Extemporalien. — 2 St. Exercizien nach F. Schulze's Vorübungen, die unter 1. aufgeführten Abschnitte. Bis zum 1. Juni hatte Hr. Lehmann den ganzen latein. Unterricht allein, später die Exercizien Hr. Luck's.

2. Griechisch: 6 St., wovon 3 St. Jakobs Elementarbuch 1r. Ks. Seite 26 bis 74 ohne Auslassungen. — 2 St. Grammat. nach Buttman's Schulgr. Die Formenlehre bis S. 80 wiederholt, und fortgesetzt bis S. 109. Endlich das Anomalien-Verzeichniß. — 1 St. Exercizien, nach Kost's und W's. 1n. Thls. 1m. Ks. S. 1—22, die unter 1. aufgeführten Sätze. Hr. Luck's.

3. Deutsch: 3 St., wovon 1 St. Syntax nach Heinsius Sprachlehre; außerdem Anfangsgründe der deutschen Verskunst, nach Gottbold's Hephästion; 1 St. Aufsätze und 1 St. Lesung nach Heinsius Musen 2r. Thl. nebst Deklamiren. Die Lektüre und das Deklamiren seit Juni Hr. Küßner.

4. Mathematik: 6 St. nach Matthias Leitfaden; davon 4 St. allgem. Größenlehre S. 1—119; 2 St. Geometrie, Abschn. 4 und 5. des Lehrb. S. Küßner.

5. Geschichte: 2 St. nach Bredow's Begebenheiten ganz, mit Ergänzungen, besonders biographischen. Hr. Brunkow.

6. Geographie: 3 St. nach Steins Geograph. für Gymnasien. Abriß der mathemat. und physischen Geograph., die Länder Europas ausführlich, besonders der preussischen Staat, wie auch die Nebenländer außer Europa. Kartenzeichnen. Derselbe.

7. Naturbeschreibung: 2 St. systematisch, nach Funke's 3m. Leitfaden. Mineralogie, Anthropologie und Zoologie. Hr. Lehmann.

8. Religion: 2 St. Ueberblick der Religionsgesch. nach Dinter, Einleit. in die Bibel nach Krummacher's Bibelfatechismus; endlich Lesung und erbauliche Erläuterung ausgewählter Abschnitte der Bibel, besonders des N. T. Beweisstellen memorirt. Hr. Lehmann.

9. Schönschreiben: 2 St. nach Hennigs Vorschr. 2. Heft. Hr. Brunkow.

10. Zeichnen: 2 St. nach größern Vorlegeblättern. Derselbe.

Zusammen 36 St., ohne die 2 Singstunden, wovon unten.



Q u i n t a  
in zwei Abtheilungen.

Ordinarius der Abthl. A. war bis Johannis Hr. Luck's, später Hr. Merleker; der Abthl. B. Hr. Brunkow.

Bis zum 1. Juni in der Vakanz einer Hülfzlehrerstelle waren beide Abtheilungen vereinigt, aber in 3 Rechnen-, 2 lat. Stunden und in der Geographie gesondert.

1. Latein: 7 St., wovon 3 St. zur Wiederholung, Vervollständigung und Beendigung der in Sexta eingeübten Formenlehre, mit Hinzunahme des Anomalischen. (Schriftliche Uebungen im Declin. und Konjug.) 3 St. zum Uebersetzen, Analysiren ic. aus den Elementarübungen von Keuß, 1r. Ks.; ausgewählte Sätze, mitunter auch zurückübersetzt und memorirt; 1 St. Exercizien, nach Speccii Praxis von Eszmarck. In beiden Abthl. bis Juni Hr. Luck's, später Hr. Merleker.

2. Griechisch: 2 St. Grammat. nach Buttman's Schulgr., von der Buchstabenkenntniß bis zum Verbum, und Jakobs Elementarbuch 1r Ks. I—V übersetzt. In beiden Abtheilungen Hr. Luck's.

3. Deutsch: 5 St., in 3 St. getrennt, wovon 1 St. Gramm. nach Heinsius, anomalische Formenlehre, Ableitung und Zusammensetzung, Wortfügung, zusammengesetzte Sätze und Wortfolge; 1 St. Rechtschreibungslehre, wiederholt und vervollständigt theoret. und prakt.; 1 St. Aufsätze nach einem Stufengange von der Auffindung von Prädikaten zu gegebenen Subjekten bis zu Briefen aus dem Gedankenkreise der Schüler; in 2 St. (kombinirt) ausdrucksvolles Lesen und Deklamiren, nach Heinsius Musen 1r Theil. Bis zum 1. Juni Hr. Brunkow, später Hr. Merleker.

4. Mathematik: 6 St., wovon 4 St. prakt. Rechnen, theils Kopf-, theils Zifferrechnen, nach Kaverau; die Bruchrechnungen wiederholt, dann die einfachen und zusammengesetzten Verhältnißrechnungen; 2 St. Geometrie nach Matthias Leitf. S. 1—84. Hr. Mauerhoff.

5. Naturbeschreibung: 2 St. (beide Abthl. verbunden) nach Funke's 2m. Leitf. Genauere Kenntniß der einzelnen Theile und Gestalten der Körper, aus allen 3 Reichen der Natur, mit Rücksicht auf den in IV. und III. nachfolgenden systemat. Unterricht. Hr. Brunkow.

6. Geschichte: 2 St. nach Bredow's Begebenh. und dessen 3 Tabellen. Kurzer Abriss der ganzen Geschichte. Bis Juni Hr. Brunkow, später Hr. Merleker.

7. Geographie: 1 St. nach Weiß und Wandkarten. Besondere Geogr., ausführlicher die vaterländische. Kartenzeichnen. Hr. Brunkow.



8. Religion: 2 St. (beide Abthl. zusammen) Gesch. und Lehren des N. L. nach Kohlrausch; nächstdem die 3 ersten Hauptstücke aus Luthers Katechismus erläutert, und dem Gedächtnisse nebst biblischen Sprüchen und Liederversen eingeprägt, nach Dinter's kurzgefaßter Glaubens- und Sittenlehre. Hr. Luck's.

9. Schönschreiben: 3 St. nach Hennig's Vorschriften 18 und 28 Hest, Herr Brunckow.

10. Zeichnen: bis Juni in 2 St. beide Abthl. kombinirt, später in 2 St. gesondert, in 1 St. kombinirt, nach Korff's Vorlegeblättern. Derselbe, Zusammen 33 St., ohne das Singen, wovon unten,

### S e x t a.

Ordinarius war Hr. Mauerhoff.

1. Latein: bis Juni 7, später 8 St., wovon 1 St. Leseübungen, 4 St. regelmäßige Formenlehre bis zur 1sten Konj. einschließlich, mündlich und schriftlich eingeübt, und 3 St. zum Uebersetzen ic. von S. 1—60 des 1n Bb. der Elementar-Übungen von Neuß. Sätze daraus memorirt. Hr. Luck's.

2. Deutsch: Bis Juni 7, später 6 St., davon 2 St. regelmäßige Formenlehre, nach Heinßius; 1 St. Satzbildung, nach Krause, einfache Sätze und von den zusammengesetzten die 5 ersten Übungen; 1 St. Rechtschreibung, theoret. und prakt., schriftliche Übungen über Satzbildung und Rechtschreibung; 2 St. Lesen und Deklamiren. Bis Juni Hr. Mauerhoff, später Hr. Brunckow.

3. Rechnen: nach Kaverau, 6 St., theils Kopf-, theils Zifferrechnen: von den 4 Grundrechnungsarten in ganzen benannten Zahlen bis zum Ende der Bruchrechnungen. Hr. Mauerhoff.

4. Naturbeschreibung: 2 St. nach Nicolai. Im Winter das Thier-, im Sommer das Gewächs- und Mineralreich. Derselbe.

5. Geographie: 2 St. nach Weiß und Wandkarten. Allgemeine Geogr., und von der besondern der preuß. Staat. Derselbe.

6. Religion: 2 St., Geschichten und Lehren der H. S. A. L., nach Kohlrausch. Memoriren der dazu gehörigen Sprüche und Liederverse. Bis zum Juni Hr. Lehmann, später Hr. Küßner.

7. Schreiben: 4 St. nach Hennig's Vorschr. 18 Hest. Hr. Mauerhoff.

8. Zeichnen: 2 St. Elementarübungen nach Korff's Vorlegeblättern. Derselbe, Zusammen 32 St., ohne die 2 Singstunden, wovon sogleich.



Außerdem in außerordentlichen Stunden:

### I. Der Gesangunterricht.

1) Obere Klasse mit 2jährigem Kursus, aus Schülern aller Klassen zusammengesetzt, 2 St. Der Unterricht der untern Klasse fortgesetzt und vervollständigt. Verschiedene Dur- und Moll-Skalen, und die Lehre von den Akkorden und Uebergängen. Praktische Uebungen, hauptsächlich Choralgesang und die Musikstücke zu der neuen Agende. Hr. D.L. Dr. Lünemann.

2) Untere Singklasse, aus Sextanern und Quintanern bestehend, mit 2jährigem Kursus. Allgemeine Einleit. zu den 3 Elementen der Musik. Besondere melodische Uebungen: Die Töne außer und im Verhältniß als ganze und halbe. Von den Tonarten die Durttöne aufgesucht und praktisch eingeübt. Rhythmik. Zur Einprägung der Intervalle kurze zwei- bis vierstimmige musikalische Sätze mit untergelegten Worten, wie auch leichte Kanons. Zur Erweckung größerer Theilnahme zweistimmige Lieder und Kanons. Hr. Mauerhoff.

II. Das Hebräische für künftige Theologen und Pädagogen, in 2 Klassen, jede mit 2 St. und zweijährigem Lehrgange, nach Gesenius Grammat. und Lesebuch.

1) Obere Klasse, aus Primanern und Sekundanern bestehend: Grammatik: Das unregelmäßige Verbum wiederholt, die Lehre vom Nomen u. s. w. bis zum Ende der Formenlehre, mit schriftlichen Uebungen. — Uebersetzt ins Lat. und grammat. erläutert sind einige prosaische Abschnitte des Lesebuchs. — Exerzizien, zur Einprägung der Grammat., nach Schröder's Uebungsbuche. — Uebungen im Punktiren unpunktirter Wörter. Prang.

2) Untere Klasse, meistens aus Tertianern bestehend: Formenlehre von der Buchstabenkenntniß bis zum regelmäßigen Verbum, mit schriftl. Uebungen. — Leseübungen. — Vokabeln aus dem Wort-Register des Lesebuchs memorirt. Derselbe.

III. Der Privatunterricht im Französischen, welches früher in 2 Klassen gelehrt wurde, beschränkt sich nur noch auf einige wenige Schüler der 2ten Klasse; denn die obere lösete sich um Ostern d. J. aus Mangel an Theilnehmern ganz auf.

Für die latein. und griech. Privatlektüre der Primaner, Sekundaner und Ältern Terzianer wurden um Michaelis v. J. in einer Konferenz der betreffenden Lehrer, mit Rücksicht auf das in der Schule Gelesene, aus Dichtern und Prosaischen ein Minimum ausgewählt, und der Privatleiß der Schüler auf die im vorigen Programme angegebene Art kontrollirt. Zu unserer Freude sind mehrere über dieses Minimum hinausgegangen.



## Zweiter Abschnitt. Verordnungen.

### A. Ueber den Gymnasialunterricht.

1. Konsistorialreskript vom 28. Okt. 1825. mit Bezug auf das hohe Ministerialreskript vom 14. April 1825.

Als Vorbereitung zur Benutzung akademischer Vorlesungen über Philosophie seien zwar allerdings schon die rechtgetriebene Grammatik, Mathematik und Geschichte der Natur und des Menschengeschlechts, desgleichen die Uebungen im Disponiren bei den freien Aufsätzen in den obern Klassen, endlich und besonders die mit Hinweisung auf die Wichtigkeit der Philosopheme, auf die Art zu schließen, zu beweisen, zu widerlegen verbundene Lesung der Platonischen, einiger Xenophontischen und Ciceronischen Schriften in Prima zu betrachten; indessen sei dieß nicht hinlänglich, sondern es müsse noch in Prima bei 2jährigem Kursus in 2 Stunden wöchentlich, die man nicht alle 4 Semester hindurch einem und demselben Lehrfache zu entziehen habe, im 1sten Jahre die Logik, im 2ten die empirische Psychologie, jedoch keinesweges afroamatisch behandelt, hinzukommen, damit der Schüler an philosophisches Denken sich gewöhne, und im Felde der Philosophie sich orientiren lerne.

